

mittantur, qui etiam manus sint admoturi, cum scribas, te tantum materiam colligere, alteri scriptionem mandaturus; non unius erit labor meo iudicio et forte necesse, ut multi sint, qui ventilatis paleis grana colligant. Habuerunt enim et illi viri boni, qui scripserunt, humanae offuscationis quaedam<sup>1</sup> neque tam serena illuxerat superiori aetate veritas, attamen lignum fumigans minime suffocandum et apium more non venenum, quod aranea, sed rorem exsugere oportebit. Qua in re opus erit iudicio et delectu, ut liberaliter institutus in doctrina religionis et ueras sententias teneat ad resecandum ea, quae parum veritati consentanea videbuntur aut quae infirmos possent remorari. Idoneus autem esset, quantum ego existimo, Dominus Magister Nicolaus Gallus;<sup>2</sup> placent enim mihi scripta ipsius etiam hoc nomine, quod multa paucis methodice complectatur. Ordinem, quem<sup>3</sup> sequitur, ego quoque in Cathalogo tuo, saluo uestro et meliori iudicio, probarem. Quod vero ad maius illud opus attinet, crediderim secundum materias distinguendum, ut primum secundum capita...<sup>4</sup> errores circa doctrinam ab antiquis taxati recenseantur, deinde circa ceremonias et ritus, tertio aduersus statum ac mores Praelatorum atque Ecclesiasticorum a capite ad calcem. nihilominus adiici poterit, quo tempore, per quem et ubi scriptum quodque sit.<sup>5</sup> Campus erit latissimus et miris coloribus depingi pro merito poterunt. Nam huc referenda, quae in conciliis a viris piis in medium producta; articuli etiam saniores inserendi, diuersi ritus ecclesiae Græcorum Orientalium atque Occidentalium, quomodo cumulati, quid quisque addiderit de suo, id ex historiis addi possent, et nonnulli nostra aetate quaedam ediderunt, ut D. Georgius Maior circa Missam et alii alia, quae tamen utpote ex historiis antiquis desumpta ut antiqua inter veterum scripta numeranda essent.

<sup>1</sup> Früher stand: eo quod, wurde aber ausgestrichen.

<sup>2</sup> Ueber ihn u. A. Preger, M. Flacius Illyricus (passim) und Melanthonis Opera VII. 972, VIII. 102, 915. IX. 519. Gallus, geboren zu Cöthen a. 1516, starb als Pfarrer zu Regensburg 1570.

<sup>3</sup> Hierauf stand ‚in cathalogo‘ was N. später strich, darüber schrieb er dagegen: sec. temporum seriem.

<sup>4</sup> Von hier an sind die letzten Silben der Zeilen nicht mehr oder nur sehr schwer zu lesen, da die Blätter arg verbunden sind.

<sup>5</sup> Oberhalb des Textes steht von Tengnagels Hand geschrieben: Methodus Historiae Ecclesiae.